



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

Capvt XVIII. Mirabili Dei iudicio plus prodesse reprehensiones; quàm
laudes adulationesque humanas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

C A P V T XVIII.

*Mirabili DEI iudicio plus prodesse re-
prehensiones; quàm laudes adulationesq; humanas.*

§. I.

Adulationes periculosas esse.

SI ad libellam veritatis rem exami-
nes, præstat sæpe carpi, quàm lau-
dari. Qui carpit, corrigit. Qui
laudat, superbum facit. Hinc dictum est à
sapiente: *Meliora sunt vulnera diligentis, Prou. 27.
quàm fraudulenta oscula odientis. Eò tendit 6.*
Æsopica fabula famelicæ vulpis ad arbo- Fab. 386.
rem, cui gallus sublimis & diem cantu salu-
tans infederat, accedentis. Ibi enim exqui-
sitis laudibus gallum extulit. Non cristas
tacuit verticis; non præteriuit radios cau-
dæ, in falcis modum reflexæ; non omisit
pennarum irides & splendorem; sed & so-
noram in eo vocem magnificè prædicauit.
Ante omnia autem in illo commendauit ar-
tem diuinandi, lucisq; prædicendæ vatici-
nia. Quibus encomijs, cùm iam tumere cer-
neret gallum, atque cristas quàm altissimè
erigere, hunc demum fraudis epilogū adie-
cit:

cit: *Vtinam ea felicitas sit mea, tam eximij vatis caput, ut exosculari mihi concedatur!* Galus, qui laudis titillatione inflatus ipse quoque iam se se osculo dignum arbitrabatur; & hanc insuper laudatrici suæ gratiam referendam censebat, ut caput suum illi ad satiætatem basiandum præberet, improuidè ab arbore ad vulpem deuolans captus, in siluam deportatus, serò sensit, qualia oscula vulpes destinasset, & affatim derisus est; quòd astuta bestia vate isto diuinoque nihil insipientius neq; vecordius vquam se vidisse diceret. Fabulæ huius epimythium est, assentatores insidiosos esse & noxios. Quæ de causa etiam Regius ille vates ait: *Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Correptio iusti misericordia est; adu- latio peccatoris crudelitas. Vtiliter Dauidi adulterium Propheta, ciuibus suis diffidentiam Iudith, malitiã Pharisæis Christus, & Ioan. Baptista; duram ceruicem Iudæis, Stephanus; Elymæ mago Paulus dolum & fallaciam obiecerunt. Seduxissent eos, qui laudibus, velut oleo, vnxisent.

Psal. 140.
5.

§. VII.

Adulatores à sapientibus semper fuisse, tamquam noxias bestias, repulsos.

Quod etiam Ethnici senserunt, adulationibus à se procul repulsis. Tarraconensibus, pro læto ostento, nuntiantibus Augusto, quòd in eius ara palma esset enata: *Apparet, inquit, quàm frequenter accendatis.* Ita adulationem diuinitatis, negligentiaè opprobatione deleuit. Nicefias Alexandro ambigenti muscas, quòd ab illis diceret se morderi: *Magis, inquit, ab alijs, quæ plus tui habent, gustato sanguine; adulatores intelligens, qui plus omnibus muscis fugunt.* Quamuis enim sapiens etiam è falsis laudibus perspiciat, qualis esse debeat, vt Crispus Passienus monuit, pauci tamen sunt, qui laudes suas suspectas habent. *Melior est ira risu,* ait Eccles. 7. Ecclesiastes; *quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis.* Quia enim amor sui cæcus est, facile credit, vera esse, quæ de se gloriose finguntur. Quare, ne glaucoma obijciatur, animi generosi laudatores suos, perinde vt adulatores, aspernantur. Quid, quòd isti etiam mala laudant? Nam sicut Colax Bianti stupido sic adulatus est: *Plus bibisti, quàm rex Alexander, in quo turpissimum*

Roterot.

lib. 4.

Apopht.

Eccles. 7.

4.

mum

mū erat, esse potatorem; sic multi superbiam, multi auaritiam & sordes, multi, per speciem potentiæ, tyrannidē, ac iniusticiam, in Principibus laudant, faciuntque, quod illi, qui in aquæ vicem, oleum flammæ affundunt, vt accendant, non extinguant. Ob quam caussam Cratetis pronuntiatum est: *Eos, qui cum adulatoribus vinerent, esse desertos, non aliter, quàm vituli sunt inter lupos. Neque enim illos adesse, quos oportet, neque cum ijs, qui adsunt, habere societatem, cum sint insidiatores.* Itaque rectè Antisthenes aiebat, si ad alterutrum adigeret necessitas, satius esse, in coruos incidere, quàm in adultores. Nam corui non comedunt, nisi mortuos, adulator etiam vivos deuorat. Bellissimè in hanc rem Prinæus ille Bias interrogatus, quod esset animal omnium maximè noxium? *Si de feris, inquit, percontaris, tyrannus; Si de mitibus adulator.* Quam ob caussam Græcorum imprecationē, qua, cui precantur exitium, iubent abire ad coruos, corrigens Diogenes dicere solebat: *multò periculosius esse, incidere in assentatores, quàm in coruos.* Vel enim fingunt, quæ laudant, & faciunt vanum ac inanem; vel mala sunt, ob quæ palpum obtrudunt, & faciunt peiorem, quia in ma-

lo confirmant; vel denique sunt laude digna, quæ prædicant, & frustra sunt, cum vera virtus non egeat laudibus humanis, quippe quæ ipsa secum ducat suam laudem atque decus, & maius quoddam præmium spectet. Qui nihil gerunt præclari, his opus est præconibus. Vnde Lysander iactanti, quod ipsum & laudibus veheret, & aduersus obtrectantes tueretur. *Duo*, inquebat, *mibi sunt boues ruri: tacentibus ambobus, tamen certò noui, uter sit ignauus, uter ad laborem strenuus.* Igitur excelsæ mentes, adulationibus non capiuntur; immò & offenduntur, instar Hippomachi discipulum baculo percutientis, multitudine vel pugillanti, vel cantanti applaudente: aut instar Antisthenis, qui cuidam dicenti, plerique te laudant: *At quid*, inquit, *mali feci?* Sgnificans, quæ recta sunt, semper paucissimis placuisse: sibi autem placere, stultorum esse. Quocirca aut stultum faciunt applausus populares, aut testimonium sunt malè facientis. Certè Chamæleontem putant, qui talem hac aura vesci arbitrantur, cuius iugulum petunt. Dum enim inflant, suffocant, sicut quidam columbas, quas sunt assaturi. Quod cum cognitissimum esset Prophetæ, dixit:

Aa

Confun-

Ælian.
lib. 2. variat. c. 62
& lib. 14. c. 8.

Pfal. 69. *Confundantur, & reuereantur, qui querunt animam meam. Auertantur retrorsum, & erubescant, qui volunt mihi mala. Auertantur statim erubescences, qui dicunt mihi, Euge, euge; ea approbantes, quibus iram Dei mereor; aut facientes vt merear.*

§. III.

Reprehensores sapientibus charos, insipientibus exosos esse.

Hastales ob causas, vel Echnici à laudatoribus abhorruerunt, sciebant enim, eorum oscula esse vulpina & fraudulenta, &

Pfal. 140. *quasi dicerent: oleum peccatoris non impinguet caput meum, ita pariter & linguam & caudam vulpinam detestabantur. Quin &*

Prou. 27. *illud quoque agnouerunt: Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me; videbant enim, dolosis illis basijs meliora esse vulnera diligentis. Quòd si vulnera, cum sunt recentia, sentiuntur, & dolor iram prouocat; vertitur tamen ira tandem in amorem, quando percussus agnoscit, plagam vtilem*

**Naucle-
rus to. 2.
gener. 21.** *fuisse ad sanitatem. S. Amandus Episcopus Argentinensis aliquando Romam profectus, in Ecclesia S. Petri penocauit. Ibi oranti apparuit S. Petrus, iussitq; eum, vt pergeret ad Dagobertum regem, eumq; scelerum*

lerum suorum admoneret, verbisq; pon-
 dus habentibus corripere. Paruit Aman-
 dus. Sed veritas odium peperit. Ergo, quia
 illi prædicando voluit salutem afferre, præ-
 mij loco, è regno est exturbatus. Dicebat
 nimirum rex peccator: *Circumueniamus in-* Sap. 2. 12
sum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius
est operibus nostris, & impropere peccata legis,
& diffamat in nos peccata disciplina nostra. Ita
 quidem iudicabat Dagobertus, quàm diu
 improbus erat. At ubi resipuit, & ad vir-
 tutem redijt, tandem Amandum inter gra-
 tissimos & amicissimos numeravit. Nimi-
 rum qui sapiunt, correctionem libenter ad-
 mittunt. *At qui odit correptionem, vestigium* Eccli. 21
est peccatoris; id est, diaboli, vt Rabanus 7.
 exponit; quia indicat, sibi diabolium domi-
 nari; aut se esse obstinatum instar dæmonis,
 peccatoq; pertinaciter inhærere. Quod ve- Gen. 16
 stigij apparuit in Agar ancilla Saræ, quan-
 do, ob superbiam afflictâ & correpta à Sara
 domina, fugam inuit: in Achab, quando 3. Reg. 21
 arguebatur, ob iniquam mortem Naboth,
 ab Elia, quem maximo odio persecutus est;
 item quando Michæam Prophetam in car- 3. Reg. 22
 cerem coniecit, percussum à Sedecia in ma-
 xilla; quòd ad gratiam Principum non vel-

2. Paral. 16. let loqui. Fuit hoc vestigium in Asa rege Iuda, quando in neruum compegit Hanani Prophetam, qui Asam increpauit, quod confusus esset in Benadab rege Syriae. Fuit in satrapis Babylonijs, qui effecerunt, vt
- Dan. 14. Daniel mitteretur in lacum leonum, quod ostendisset, Bel & draconem non esse Deos. Fuit & in Herode, qui Io. Baptistam iussit in vincula dari, ægrè ferens, quod dixisset,
- Matth. 4. Non licet tibi habere uxorem fratris tui Phi-
 Marc. 5. lippi Herodiadem. Hi tales puniri à Deo maluerunt, quàm corrigi. Quemadmodum &
- Vlric. Abbas Anastasius Imperator, ab Ennodio Ticinensi Episcopo, iussu Pontificis, admonitus, vt in Chron. haresin deponeret; & alius B. Ælfege de ieiunio & castitate in quadragesima seruanda sermonē contemnens, repentina morte perierunt. Qui autem nondum penitus animis suis induruerunt, mores suos emendant, quando reprehenduntur, discuntq; ipsos suos amare castigatores, quod Dagobertus fecit; quin & Gisa regina, quæ quantò proteruius spreuit S. Seuerini iustissimas admonitiones, tantò postea honorificentius eundem ipsa prædicauit, vt Eugyppius in vit. S. Seuerini Baron. tom. 6. nophon scribit, esse prudentis cordatiq; viri, *etiam*
- An. 493. de Anastasio.
 De Ælfege vide Baron, tom. II.
 An. 947.
 Eugyppius in vit. S. Seuerini Baron. tom. 6.
 An. 473.

etiam ab inimicis utilitatem capere. Nam quemadmodum periti medici ex bestijs ac serpentibus noxijs vtilia quædam remedia colligunt, ita ex inimicorum odio, cauillis, conuitijs, calumnijs, decerpere aliquid, quod vertat in suum bonum, viri est sapientis. Lima dum ferrum rodit, expolit: sic lingua mordax, & dens Theoninus lædendo rubiginem morum detrahit. Sæpe recta monet, qui non monet rectè. Hesiodus primas tribuit ei, qui per se sapiat; secundas, qui rectè admonenti obtemperet. Huic ego antefero eum, qui paret etiam non rectè monenti, dummodo moneat recta. Cùm amici, qui recta rectè monerent, sæpe verentur offendere, procurat nobis Deus non raro *salutem ex inimicis nostris*, quos furor instigat, vt dum non rectè rabiunt, recta obijciant. Itaque plerumque maius est beneficium Numinis si nos sinat vituperari vt emendemur, quàm palpari, vt superbia-

§. IV.

S. Monica reprehensione ancilla correctæ.

Cuius diuinæ prouidentię beneficijque illustre exemplum disertissime de matre sua, S. August. lib. 9. Confess. cap. 8. descripsit nobis D. Augustinus his verbis.

A a 3

Sed

Sed non prateribo, quidquid mihi animi par-
 turit de illa famulâ tuâ, qua me parturivit &
 carne, ut in hanc temporalem, & corde, ut in
 aeternam lucem renascerer. Non eius, sed tua
 dona in ea. Neq; enim seipsam fecerat,
 aut educauerat seipsam. Tu creasti eam, nec
 pater, nec mater sciebat, qualis ex eis fieret.
 Et erudiuisti eam in timore tuo virga Christi tui,
 regimen unici filij tui, in domo fidei, bono mem-
 bro Ecclesie tue. Nec tantam erga suam disci-
 plinam diligentiam matris predicabat, quan-
 tam famula cuiusdam decrepita, qua patrem
 eius infantem portauerat, sicut dorso grandinif-
 cularum puellarum paruuli portari solent. Cuius
 rei gratia & propter senectam ac mores optimos,
 in domo Christiana, satis à dominis honoraba-
 tur. Vnde etiam curam dominicarum filiarum
 commissam, diligenter gerebat, & erat in eis
 coercendis, si opus esset, sanctâ seueritate vehe-
 mens, atq; in docendis sobria prudentia. Nam
 eas, præter illas horas, quibus ad mensam pa-
 rentum moderatissimè alebantur, etiamsi ex-
 ardescerent siti, nec aquam bibere sinebat, præ-
 cauens consuetudinem malam, & addens verbû
 sanum: modò aquam bibitis, quia in potestate
 vinum non habetis: cùm autem ad maritos ve-
 neritis, facta Domina apothecarum & cellaria-
 rum

rum, aqua sordebit, sed mos potandi praeualebit. Hâc ratione præcipiendi & authoritate imperandi, frangebatur auiditatem tenerioris ætatis, & ipsam puellarum sitim formabat ad honestum modum, ut iam nec liberet, quod non deceret, & surrepserat tamen sicut mihi filio famula tua narrabat, surrepserat ei vinolentia. Nam cum de more, tamquam puella sobria, iuberetur à parentibus de cuppa vinum depromere, prius quam in lagunculam funderet merum, primoribus labris sorbebat exiguum, quia non poterat amplius, sensu recusante. Non enim vlla temulenta cupidine faciebat hoc, sed quibusdam superfuentibus ætatis excessibus, qui ludicris motibus ebulliunt, & in puerilibus animis maioris pondere premi solent. Itaque ad illud modicum quotidiana modica addendo (quoniam qui modica spernit paulatim decedit) in eam consuetudinem lapsa erat, ut propè iam plenos mero caliculos inhæter hauriret. Ubi tunc sagax anus & vehemens illa prohibitio? Numquid valebat aliquid aduersus latentem morbum, nisi tua medicina Domine vigilaret super nos? Absente patre & matre, & nutritoribus tu præsens, qui creasti, qui vocas, qui etiam per præpositos homines tibi aliquid agis, ad animarum salutem, quid tunc egisti DEVS meus? unde curasti?

unde sanasti? Nonne protulisti durum & acutum ex alterâ animâ conuitium, tamquam medicinale ferrum ex occultis prouisionibus tuis, & vno ictu putredinem illam praeidisti? Ancilla enim cum quâ solebat accedere ad cuppam, litigans cum dominâ minore, ut fit, sola cum sola, obiecit hoc crimen amarissimâ insultatione, vocans meribibulam. Quo illa stimulo percussa, respexit fœditatem suam, confestimq; damnauit atq; exiit. Sicut amici adulantes peruertunt, sic inimici litigantes plerumq; corrigunt. Nec tu quod per eos agis, sed quod ipsi voluerunt, retribues eis. Illa enim irata exagitare appetiuit minorem dominam, non sanare; & ideò clancullo, aut quia ita eas inuenerat locus & tempus litis, aut ne fortè & ipsa periclitaretur, quòd tam serò prodidisset. At tu, Domine rector calitum & terrenorum, ad usus tuos contorquens profunda torrentis, fluxum saeculorum ordinans turbulentum, etiam de alterius anima insaniam sanasti alteram. Ne quisquam cum hoc aduertit, potentia sua tribuat, si verbe eius alius corrigatur, quem vult corrigi. Duo idem agunt, sed non est idem. Homo conuitiatur, Deus emendat: vulnerat homo, Deus sanat; & sicut chirurgus, ferro vulnus faciente, affert incolumitatem; ita Deus saniem vitiorum

rum educit, homine, per opprobria, vlcus tangente. Vnde bonitas eius laudanda, & prædicanda æquitas, dicendumque: *Bonum mihi, quia humiliasti me.* Remedia initio mordent, postea conferunt salutem: ita salubria monita principio sunt nonnihil amara, postea correctio iucundissima. *Putrida carnes ferro indigent & cauterio,* ait S. Hieronymus, *Nec est medicina culpa, sed vulneris, cum clementi crudelitate non parcit medicus, ut parcat, sauit ut misereatur.* Itaque quem diligit Dominus, corripit. Et sæpe, vbi malitia non est, correptio sola sufficit. Qua de causa de Cyriaco Episcopo Constantino-politano qui sibi *Episcopi vniuersalis* nomen per summam simplicitatem vsurpauerat, sola monitione contentus, pœnas nullas sumpsit D. Gregorius Pontifex Max. ne, ut ait, *Ecclesia unitatem perturbaret, pro causa profani vocabuli, moras faciendo.*

S. Hieronym. ad Amand. Prou. 3. 12.

S. Greg. lib. 6. ep. 24.

§. V.

Innocenter reprehensi, & à Deo defensi Religiosi exemplum.

Reprehenduntur autem sæpe etiam innocentes, & reprehenduntur publicè; itaq; ibi non est corrigendi locus, quid ibi Deus destinat? destinat ostendere innocentiam,

A a § patien-

Cæsar
lib. 4. hist.
Illustr.
cap. 24.

patientiamq; aliorum; aliorum autem detegere diabolicam malitiam; deniq; omnes docere, ne primis rumoribus credant, cum sæpe sequens dies ostendat invidiam, & iniuriam præcedentis. *Non est diu, ait Cæsar, quòd monachus quidam stimulis invidia agitatus & superatus, quemdam ex fratribus suis adolescentem accusavit apud Abbatem, impo- nens ei crimina pessima: cui cum minus Abbas crederet, ille ad maiorem vindictam usq; ad Visitatoris presentiam suam accusationem re- servavit. Quid plura? Tanta apud illum invidi machinatio profecit, ut ipse Visitator iuveni vitia relata in Capitulo coram omnibus obijce- ret; neganti, & Deum innocentia sua testem in- nocanti, non crederet, sed habitu truncato car- ceri manciparet. Post cuius discessum, Deus index iustus, invidum infirmitate peremptoria flagellavit: timens verò mori, confessus est, iuue- nem ex invidia se accusasse. Quod cum ex con- silio confessoris senioribus propalasset, statim pro Visitatore missum: qui territus ad monasterium ocys redijt, ipse carcerem intravit, ad pedes mo- nachi se prostravit, & ut sibi ignosceret, quod ig- noranter in eum deliquerat, supplicans, etiam reluctanter eum cum gloria eduxit. Hæc mihi relata sunt à quodam Abbate, qui visitationi eidem*

eidem interfuit. Apollonius: Puto monachum istum in tam graui tentatione meruisse. Casarius: Quod fornax auro, quod lima ferro, quod flagellum grano, quod uua torcular, hoc ei eadem fuit tentatio. Seruauit enim in tribulatione patientiam. Inuido autem sua erat inuidia, quod venenum stomacho, quod tineæ vestimento, quod arugo flori, quod tabes corpori.

§. VI.

Reprehensionum patienter ferendarum remedia.

Præstat igitur reprehendi, quàm proietum esse ad reprehensiones; quia qui reprehenditur, si nihil habet quod emendet, habet tamen quod mereatur apud caelestem remuneratorem. Qui autem libenter obuia quæque carpit, similis est lamijs, quas fabulæ narrant, foris oculatas esse, domi oculis in vase reconditis nihil videre: ita enim isti, qui se putant in alienis perspicaces esse, ad sua cæcutiunt; neque vident, hoc ipsum esse turpissimum, omnia velle carpere. Sed tales Carpos & Momos, & Theones esse oportet in mundo, qui bonos exerceant; malos, dum mordent, sanent. Ob hos igitur, qui de natura, vel de ipso naturæ authore queritur, dissimulatis tot bonis,

nis, perinde facit, ac si quis Nilum calumnietur alioqui frugiferum Ægypto, quod crocodilum habeat, aut aspidem; nec velit frui prognatis frugibus, sed tantum queratur de venenis, quæ nutrit. Quin ut ipsa venena medicina sunt, si rectè vsurpentur; ita vituperatores digitum intendunt ad vlcera nostra, & lingua monstrant, quid in nobis sit vitiosum. Quod si vitiosum sit nihil (in quo autem est nihil?) saltem nos exoliunt, semperque minus nocent, quam lingua blandiens. Quamquam etiam multi sunt, qui quia nos amant, verbis castigant, qui utiq; sunt adulatoribus anteferendi, iuxta illud: *Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Denique quicumque siue rei, siue non rei linguas sentitis viperinas, *recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersum semetipsum contradictionem: ut ne fatigemini, animis vestris deficientes.* Inter alias causas, ob quas apud Religiosos quotidie legatur Martyrologium, non est solùm, ut occurrentibus quotidie Sanctorum solennitatibus, congruum eis honorem impendamus, eorum auxilia imploremus, eorum facta vitamque imitemur; sed

Plal. 140.
5.

Hebr. 12.
3.

fed etiam, vt ex Dionyfio Carthufiano docet Molanus: *In Capitulis Religioforum, an-
tequam culpa recognofcantur, feu proclamen-
tur, fit lectio in Martyrologio, quatenus fratres
Martyrum Sanctorum exemplo ad patientiam
animantur, etiamfi abfq; fua culpa redarguan-
tur, aut proclamentur.* Facit ergo reprehen-
fio etiam de ea re, quæ culpabilis non eft, vt
Martyribus innocenter paffis fimiles red-
damur; fi Martyrum exemplo eam patienter
perferamus.

Molanus
l. de Mar-
tyrolog.
cap. 14.

§. VII.

*Reprehenfiones prudentes, ac mansuetas effe
oportere.*

Ob hanc cauffam *vir prudens & disciplina-
tus non murmurabit correptus.* At quemad-
modum difficillimè fanantur, qui fui fenfu
carent in morbo, velut lethargici ac phrene-
tici; ita tardiffimè reuocantur ad bonam
mentem, qui non agnofcunt fua vitia. Hinc
peruerfi difficile corriguntur. Magna igitur
ars eft tractare tales, atq; eis fua vitia offen-
dere, poftea curare. *Quo pacto reformaretur,
& rurfus aliquid fieret id, quod vehementer
medelam reiceret, tamquam inobediens, &
quod minime propter longi temporis superbiam
corrigi poffet?* ait S. Gregorius Nazianzenus.

Eccli. 10.
28.

Eccli. 15.

Nempe

S. Greg.
Nazianz.
orat. de
Pascha.

Nempe ut mansueto & humano curationis modo ad correctionem induceretur, cum neque rarus incurvus subitam inflexionem, & producentis manus violenter ferret, citiusque frangeretur, quam dirigeretur. Neque equus ferox & adultus, absque assentatione & demulsiōe frenum susciperet, tyrannidem. Ut ergo correptio fiat correctio, nec qui corripitur, patientia, nec qui corripit, clementiæ debet obliuisci. Nam qui correptus statim fugit, exosus admonitorem, perinde facit, ac si sectus à medico, continuo offensus aufugiat, non expectans ut obligetur, & oblinatur vulnus, ac mitigetur. Nam is, quod dolet, iam passus, quod opem confert, non vult experiri. Ad corrigentes autem quod attinet, eos ipsos corrigit, aut monet his verbis D.

S. Chryf.
hom. 30.
ad Hebr.

Chrysostrmus. Non videtis medicos, quando urunt, vel secant aliquos, cum quanta lenitate opus curationis exercent? Multò amplius corripientes oportet hoc agere. Etenim correptio & igne & ferro vehementius operatur, & resiliere facit eos, quibus offertur. Hæc circa agrum medici etiam student primùm, quatenus possint agrum facere, sectionem æquanimiter tolerare: & quantum possunt, leniter agunt, & aliquantulum requiescentes agrum faciunt recreari.

ari. Sic ergo oportet correptiones efficere, ut & qui corripunt, non resiliant, ac si eos iniuriari proveniat, ac si percuti, non debent abhorrere. Nam qui secantur aduersus eos, à quibus secantur, multa reclamant, sed illi nihil impediuntur, sed tantum agrotantium consulunt utilitati & sospitati. Sic etiam hinc cuncta gerenda sunt.

§. VIII.

Mirum amari laudatores, & vitari reprehenses, cum contrarium fieri oporteret.

Ita quidem constituti debent esse, qui reprehendendo alios corrigunt; at qui corriguntur, reprehenses pluris debent facere, quam laudatores, à quibus plerique plausum captant. Si & animi voces intelligeremus, nempe cornorum, graculorum, ait Dio, Dio orat. 66. atque aliorum animantium, nempe ranarum, aut cicadarum, haud dubie & horum vocibus animum adverteremus, quidnam de nobis diceret graculus volans, aut pica, & quam de nobis haberent opinionem? Felicitas ergo quadam est, quod non intelligimus. Quot verò homines ranis sunt insipientiores & graculis? Et quam pauci sunt, qui laudant? quam multi, qui vituperant? Ex illis autem paucis, qui humanæ gloriæ theatrum conficiunt, quam viles,

S. Chryf.
hom. 17.
ad Rom.
Vide eū-
dem ho-
mil. 28.
in Ioan.

viles, quàm pravi iudicij? Sed dic, quæ-
sit. ait S. Chrysoſtomus, quot velis habere lauda-
tores? centum, seu bis, seu ter, seu quater toti-
dem? Quin sint duo millia, aut etiam quatuor,
vel si ita placuerit innumeri, qui applaudant.
Nihil tamen illi omnes à graculis deſuper garru-
entibus different. Immo ſi Angelorum theatrum
perpenderis, apparebunt illi vermibus etiam vi-
liores; illorumq; præconium, aranearum textu-
ra, fumoq; & ſomnijs infirmitus. Hanc ergo
rem tam vilem amamus, tanti facimus, quã
etiam experimur sæpe, vt idem S. Pater lo-
quitur, eſſe crudelem belluam, demonem hor-
rendum, communem totius orbis terrarum pe-
stem, viperam venenatam, diſcerpentem eum,
cui innaſcitur: & reprehensiones maximam
vtilitatem habentes fugimus, eoſque qui
mente optima nos volunt emaculare, odio
proſequimur, & modis omnibus extinctos
volumus? Quàm longè aliter ſenſit, qui di-
xit: *Corripiet me iuſtus in miſericordia, & in-
crepabit me: oleum autem peccatoris non im-
pugnet caput meum?* & alter ita pronuntians:
*Melior eſt manifeſta correptio, quàm amor ab-
ſconditus. Meliora ſunt vulnera diligentis,
quàm fraudulentæ oſcula odientis. Vulnerat
chirurgus cum venam aperit, vt ſanguinem
malum*

Pſal. 140.
5.

Prou. 27.
31.

malum deducat; & mercedem ei damus, quia salubriter vulneravit. Iudas Christum osculatur, ut prodat, dederat enim hoc eis signum; quis non magis diligat more chirurgi vulnerantem, quam more Iudæ osculantem? Et tamen sæpe huic similes sunt laudatores; illi vituperatores nostri. Permittit igitur Deus hos ad emendationem, illos ad probationem: in utroque beneficus.

C A P V T XIX.

Deum non deesse innocentibus humiliatis, sed eos in tempore suo tanto gloriosius exaltare, idq; per varia miracula.

§. I.

Deum antè homines humiliare, quàm exaltat.

Mirabilis consolatio est innocentium talia in terris patientium, si Deum credant ubiq; semper præsentem & omnia providè gubernantem. Non enim tantum à fame sibi tales non timent; sed neque etiam ab infamia. Licet deprimantur à superioribus; licet iudicijs & calumnijs

B b

appe-